DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE PLEURITIDE,

Quam,

FAVENTE ARCHIATRO,

Ex Authoritate Magnifici D. Rectoris,

D. ABRAHAMI HEIDANI,

SS. Theologiæ Doctoris, ejuſdemque Facultatis Profeſſoris Ordinarii; ac verbi Divini Miniſtri fideliſſimi;

Conſenſu Ampliſſimi Senatus Academici, & decreto celeberrimæ Facultatis Medicæ,

Pro gradu Doctoratus in Medicina ritè conſequendo,

publicæ eruditorum diſquiſitioni ſubjicit,

PETRUS PIERIUS, Franequera-Friſius.

Ad diem 24. Aprilis loco horiſque ſolitis.



Lugduni Batavorum,

Apud PETRUM LEFFEN, M.D.C.LIV.

Aberdeen

Ampliſſimis, Conſultiſſimis, Prudentiſſimis
DOMINIS,

CONSULIBUS
ET
SENATORIBUS
REIPUBLICÆ EDAMENSIS:

NEC NON
Conſultiſsimis ac Spectatiſsimis Viris,

D. JOANNI HOUTTUYN,
D. LAMBERTO SCHOREL,
Eidem Reipublicæ à Secretis & Syndicis vigilantiſſimis,
Dominis & Amicis ſemper debitâ obſervantiâ colendis:

VT ET
Clariſſimis Viris,

D. DOMINICO ACRONIO à BUMA,
Politices, Hiſtoriarum ac Eloquentiæ in illuſtri Friſiorum Academia, quæ eſt Franequeræ, Profeſſori celeberrimo, Avunculo unico, plurimum honorando.

D. JOANNI ANTONIDÆ VANDER LINDEN,
Doct. ac Profeſſori Medicinæ Practicæ in inclytâ Academia, quæ eſt Lugduni-Bat. Præceptori fideliſſimo, Patris ſemper loco obſervando & colendo:

Diſputationem hanc in obſequii
& animi grati teſtimonium

Offert & dedicat

PETRUS PIERIUS.

322412
WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

DISPUTATIO MEDICA
DE
PLEURITIDE.

THESIS I.

PLEVRITIS cùm ſit affectus valde frequens & acutus, conſtitui hac vice breviter proponere, ea quæ præcipuè faciunt ad ejuſdem tum cognitionem tum curationem. Quod ut commodius fiat, remota Fatulenta dicta, quam Pleuritidem eſſe non concedimus, de vera nobis ſermo erit.

II.

Pleuritis eſt inflammatio lateris.

III.

Differentiæ (quas notaſſe expedit, primò, propter prognoſin, deinde propter praxin) petuntur vel à Materia afficiente, vel à Parte affecta, ſive ſubjecto morbi. Ratione materiæ, alia eſt ſanguinea, alia biliosa, alia pituitoſa, alia melancholica. Quibus non ſine ratione quis addiderit ſeroſam. Reſpectu partis affectæ, ſpecies ſunt; dextra, ſiniſtra: aſcendens, deſcendens: interna, externa: anterior, poſterior.

IV.

Cauſarum aliæ mediatè, aliæ verò immediatè hunc morbum efficiunt: quarum illæ Procatarcticæ, hæ Proëgumenæ vocantur. Quæ rurſum dividuntur: Procatarcticæ in Prophaſin & Aphormen: Proëgumenæ in Antecedentem & Continentem.

V.

Continens ſive conjuncta cauſa in pleuritide eſt Sanguis fervore, & hinc concitatiore motu peccans in vaſis majoribus: unde impetuoſius irruens in latus ibi ſtagnat, ſi quid obſtet quo minus liberè circuire, ſive redire in venas majores queat.

VI.

Antecedens cauſa eſt quidquid fervorem in ſanguine excitare valet, ſive hoc internum ſit ſanguini, ſive externum. Interna poſſunt eſſe præconcepta in ſanguine vitia, Plethora & Cacochymia. Externa, dolor, vel doloris author. Dolor partis mandantis vel recipientis. Doloris author, ut caſus, ictus, & ſimilia.

VII.

Quæ impetu irritant, & initium dant motui, ſunt variæ pro vario immoderato uſu rerum non naturalium: ut aer impensè calidus. Frigidus etiam, quando illi corpus ex motu aut alio modo calefactum ſubito exponitur. Ciborum calidorum nimius uſus: ut & crapula ac vinolentia. Exercitia vehementiora: immodicæ vigiliæ. Et inter animi affectus, Ira.

VIII.

Prophaſis ſive prævia diſpoſitio poteſt eſſe vel in Corpore, vel in Parte. In corpore, ætas juvenilis, temperamentum calidum, vitæ genus laborioſum, &c. In parte, anguſtia vaſorum.

IX.

Signis opus eſt tum ad Cognitionem morbi præſentis, tum ad Prædictionem ejuſdem ſtatus futuri: quorum hæe Prognoſtica, illa vero Pathognomonica vel Diagnoſtica appellantur.

X. Patho-

X.

Pathognomonica ſunt febris acuta, dolor punctorius in latere, tuſſis moleſta, cum qua poſt initia aliquid excernitur, reſpiratio difficilis, pulſus quandoque durus.

XI.

Diagnoſtica varia ſunt pro varia ratione materiæ, & vario ſitu partis. In Pleuritide à puro ſanguine febris eſt Synocho ſimilior: in bilioſa, tertianæ. In illa, omnia Symptomata ſunt remiſſiora & tardiora: in hac, vehementiora & celerioris motus. In pituitoſa, magis remiſſa, & tarda. Sic etiam ratione partis, in aſcendente dolor magis ad jugulum vergit: In deſcendente, ad hypochondria. In externa dolor eſt magis lancinans, inſpiratio difficilior, & facilior decubitus in latus ſanum: in interna, dolor magis punctorius, exſpiratio moleſtior, tuſſis crebrior, & decubitus facilior in latus affectum.

XII.

Prognoſtica ſigna vel Eventum ipſum, vel Modum, vel Tempus eventus prænunciant.

XIII.

Quod ad eventum, cum ſit morbus acutus, incertus eſt ejus exitus, aphor. XIX. lib. II. Siniſtra tamen eſt periculoſior, quam dextra: interior exteriore: & deſcendens aſcendente.

XIV.

Modum quod attinet, vel ſolvitur per excretionem, ordinarie per ſputa; aliquando, quod rarius, per urinas, alvum, ſudores. vel tranſit in aliud malum, plerunque difficilius priore, utputa Empyema primum, & hinc in Tabem, aphor. VIII. & XV. lib. V.

XV.

Quo citius & facilius ſputa prodierint, eo brevior & levior

vior erit morbus, aphor. XII. lib. I. Optimum ſputum album, læve, æquale. Bonum, ſputa probe permixta eſſe. Quo autem ſinceriora, eo deteriora.

XVI.

Pleuriticis, vigente morbo, profluvium alvi ſi ſupervenerit, malum, aphor. XVI. lib. VI.

XVII.

Ex cognitione morbi & cauſarum eruuntur Indicationes, quibus inventis procedamus ad curationem. Indicationes à Morbo, deſumuntur ab eodem pręſente aut futuro.

XVIII.

Indicatio morbo præſente, duplex eſt : Adjectoria vel Ablatoria. Adjectoria, vulgo Conſervatoria, à Viribus deſumitur potiſſimum. Ablatoria eſt iterum duplex, una nempe Morbi, altera Cauſarum proëgumenarum.

XIX.

Ablatoria morbi partim ab Intemperie, partim à Sanguine ſtagnante in parte deſumitur. Intemperies indicat Alterationem: in ſpecie, Refrigerationem, & pro ratione materiæ magis vel minus Humectationem. Sanguis autem qui influxit, ſiquidem extravaſatus eſt, & concretus, poſtulat Suppurationem ac Puris evacuationem: ſi non eſt concretus, Reſolutionem: ſi vero non excidit vaſis, Derivationem.

XX.

Ablatoria cauſæ reſpicit vel Sanguinem influentem, vel Id quod ſanguinem influere & ſtagnare facit. Cujus amovendi ratio pro diverſo modo cauſandi, etiam varia eſt. Sanguis autem, ſi fluat ad partem minore impetu, indicat Averſionem: ſi majore, Revulſionem.

XXI. Inven-

XXI.

Inventis indicationibus; curationi incumbendum. Ea autem incipienda à Sanguinis miſſione revulſoria, ſi in initio adſumus: quæ fieri debet, ſi Pleuritis eſt aſcendens, in pede: ſi deſcendens, in brachio, ſervata ſemper rectitudine. Præſtat etiam repetitis vicibus, quam ſimul & ſemel mittere, quod mittendum jubetur.

XXII.

Averſionis materia etiam eſt Venæſectio. Inſtituenda autem in omni Pleuritide in brachio lateris oppoſiti.

XIII.

Derivatio ſanguinis ſtagnantis fit per brachium ejuſdem lateris. Cucurbitulæ cum ſcarifatione non adeo tuto, nec ſatis cum fructu adhibentur. Sanguis autem mittendus, uſque dum color ejus mutetur, niſi quid prohibeat.

XIV.

Statim poſt ſanguinis miſſionem, ſi alvus dura non reſponderit, ex re erit injicere Clyſterem emollientem, ac modice refrigerantem. Purgantibus non eſt locus, niſi poſtulante ſingulari neceſſitate. Etiam tunc intra Lenientia ſubſiſtendum, ſemperque hic in oculis habendus aphor. xxiv. lib. I.

XXV.

Reſolutio, attenuatio, & evocatio ſanguinis extravaſati obtinetur modice calefacientibus, humectantibus, & tenuium partium medicamentis, cum topicis, tum internis, potui aut linctui datis, quorum catalogi & formulæ plurimæ extant apud Authores.

XXVI.

Sanguis concretus debet ſuppuratione reddi aptus excretioni. Cui intentioni ſerviunt emplaſtica foris potiſſi-

tiſſimum adhibita, tum & Athææ ſyrupus aliive id genus linctui dati. Nam quæ ſuppurationem movent, expectorationem promovent.

XXVII.

Rumpendo abſceſſui, ſi fiat, conducit Syr. cap. ven. hyſſopi, cum tantillo Olei ſulphuris: oxymel. ſimpl. Eſt & ubi vomitorio opus eſt.

XXVIII.

Rupto abſceſſu, & pure in cavitatem thoracis effuſo, niſi Empyema naturæ beneficio evacuetur, per anacatharſin aut urinas vel alvum; Paracenteſis tempeſtivè inſtituenda: ſub qua meminiſſe oportet aphor. xxvii. lib. vi.

XXIX.

Conſervatoriæ indicationi per diætam ſatisfit, quæ, quantum per vires licet, in initio debet eſſe tenuis, refrigerans, & humectans: in ſtatu paulo plenior, & morbo declinante magis magiſque plena. Notetur hic aphor. ix. lib. i.

XXX.

Indicatio à morbo futuro eſt Præſervatoria, & deſumitur in morbo fiente à cauſa Antecedente & Aphorme, ſi agunt. In morbo vero qui fieri poteſt, à Prophaſi. Sed quoniam in ſpecie non poſſunt determinari, & pro earum diverſitate diverſam curam exigunt, ſufficit de iiſdem mentionem feciſſe in generalibus.

FINIS.